

## DE ESSENTIA TRINITATIS ET MEMBRIS DOMINI EPISTOLA. I


SANCTI CELEBERRIMIQUE ECCLESIAE DOCTORIS SANCTI  
HIERONYMI EPISTOLARVM LIBER FOELICITER INCIPIT

Tractatus beati Hieronymi de essentia Trinitatis & membris dñi; Cuius effectum subiectū indicat argumentū.

**D** Eum trinum in personis; inuisibilem; incorporeum; incomprehensibilem; immensum; immutabilem; simplicem; & immortalē docens infert; Cuncta quae in scripturis vel de motibus animae vel de humanis membris tradunt; in deo nō carnaliter sed spiritualiter & figuraliter intelligenda; singulariter in membris & motibus dei; in scripturis tradita; mysticū & spirituale sensum exponens.

EPISTOLA. I

AA



**O** MNIPOTENS DEVS PATER ET FILIVS ET SPIRITUS sanctus; vnus atq; trinus; vnus videlicet in natura; trinus in personis; solus inuisibilis; solus immensus atq; incomprehensibilis; solus incircumscriptus; solus incorporeus; & immortalis; vbiq; praesens sed latens; vbiq; totus sed immensus. Inuisibilis est; quia in essentia sua videri non potest apostolo testante qui ait; Quem vidit nullus hominū; sed nec videri potest. Et in euāgelio; Deum nemo vidit vnq;. Incorporeus est; quia nullis membrorū lineamentis. compositus est siue compactus existit; sicut veritas in euāgelio dicit; Spiritus est deus; & qui adoratur in spiritu & veritate oportet adorare. Imensus est; quia quantitas eius vel qualitas a nullo metiri potest. Cui Salomon in sua oratione supplicans ait; Si caeli & caeli caelorum te non capiunt; quanto magis domus ista quam aedificauit; Incircumscriptus est; quia circumscripti non potest. Illocalis est; quia de loco ad locum nequaquam transit. nec quolibet detinetur; ipso de se per Esaiam testimonium perhibente; Coelum sedes mea est; terra scabellum pedum meorum. Et per Hieremiam; Coelum & terram ego impleo. Cuius immensitatem propheta in psalmis confitens ait; Si ascendero in caelum; tu illic es & caetera. De cuius immensitate adhuc in libro Iob scriptum est; Excelsior caelo est. Et vnde agnoscis; Longior est terra; Immensitas eius latior est mari. Qui caelum & terram implet; proculdubio nullus locus est eius praesentia absens. Super omnia quippe est regendo atq; imperando. subter est omnia sustinendo atq; portando; nō pondere laboris; sed infatigabili virtute. Immutabilis est; quia ab eo quod est omnino mutari non potest; ipso dicente per Malachiam prophetam; Ego dominus & non mutator. Ideo deus immutabilis dicitur; quia misericordia eius; ira; furor; poenitentia; obliuio; recordatio & alia his similia ei non accidunt. Simplex em natura est & immutabilis; & imperturbata; neq; aliud est ipse & aliud quod habet; sed ipsum est quod habet; & quod est immortalis est; quia mori non potest apostolo dicente; Qui solus immortalitatem habet; & lucem habet inaccessibilem; quem vidit nullus homo; sed nec videri potest. Vbi cumq; autē sacra scriptura sparsim per diuinos libros in deo motus animae seu humana membra describit. id est. caput; capillos; oculos; palpebras; aures; nares; os; labia; cor; linguam; imaginem; vterum; manum dexteram; manū sinistram; digitos siue digitum; alas; scapulas; posteriora; pedes. Item motus animae iram; furorem; obliuionem; poenitentiam; recordationem; & his similia; non carnaliter iuxta historiam a recte intelligentibus sumenda sunt; sicut a iudaeis & plarisq; haereticis carnaliter sapientibus; qui deum corporeum atq; localem opinantur; sed spiritualiter omnia de eo intelligenda & contuenda sunt. Si quis enim deo humana membra seu motus animae more humano inesse credit; proculdubio in corde suo idola fabricat; Cum vt dictum est figuraliter in deo caput legimus ipsam essentiam diuinitatis eius quae omnia praecedat; & cui omnia sunt subiecta; intelligere debeamus. Capillos vero capitis eius sanctos angelos seu vniuersos electos accipi oportet. De quo quidem sacramento in libro Danielis scriptum est; Aspicebam donec throni positi sunt; & antiquus diem sedit; vestimentum eius quasi nix candidum; & capilli capitis eius quasi lana munda. Hoc enim significat per vestimenta candida dei; quod & per capillos capitis sui; eius sanctos videlicet angelos; & multitudinem sanctorum dealbatorum. Vel certe ideo capilli eius lanæ mundæ comparantur; vt per hoc antiquus dierum credatur esse. Oculos

a ij